Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26196
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tabernaculi mandatur. quia et scriptura sancta sapien
tie celestis sensu clara refulget. et ipsi qui ea condi
dere prophete predicatores vita ac sermone fuerunt.
FACIES quoque illi labium aureum per circuitum. et ipsi labio
coronam interrasilem altam quattuor digitis. Labium aureum
fit mense per circuitum. quia doctrina sacri eloquii per mundis
sima nobis predicatorum fidelium ora ministratur. Neque illorum
locutio que divina nobis archana tradiderat humane
confabulationis sermonibus ullatenus attaminari con
sentiebat. quin potius non tantum nociua sed et otiosa ho
minum verba quantum ferre ac redarguere curabant.
ut certe labium fit aureum mense per circuitum. quia scrip
tura sancta omni ex parte sue locutionis cum recte intel
legitur claritatem nobis sapientie celestis insonat. Cui
videlicet labio corona additur. quia lingua predicantium
suis auditoribus retributionem vite promittit eterne. Et bene
ipsa corona quattuor digitis alta fieri precipitur. quia celsitudo nobis
corone perennis per quattuor sancti evangelii libros ostenditur. ut quia per custodiam
evangelice fidei et operationis ad coronam nos vite pervenire oportet.
Pulchreque per digitos libri designantur. quia nimirum et tabule legis
digito dei esse scripte referuntur. et in evangelio dominus dis
tinctionem legis temperaturus digito scribebat in
terra dicens. de adultera quam accusabant pharisei et
scribe. si quis vestrum sine peccato est primus in illam lapidem
mittat. Digitus autem dei spiritus dei intellegitur. Unde illud
quod matheus dominum dixisse refert. si ergo in digito
dei eicio demonia. lucas quibus apertius exponendo dixit. in
spiritu dei. Itaque labio mense aureo corona aurea quattuor